DE VOTO PAVPERTATIS IN RELIGIONE:

Quod eſt

ABDICATIO PROPRIETATIS IN PROPRIVM NON HABENDO:

R. P. M. Ambroſij Beltrami

VENETI,

ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI,
S. THEOLOGIAE PROFESSORIS.

Iuxta Doctrinam, & Regulam Apoſtolorum,
Sacrorum Canonum, & Theologorum,
& præcipuè Diui Auguſtini.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M. D. LXXXI.
Muſchius Excudebat.

REVERENDISSIMO
P. M.
THADDAEO
PERVSINO,

Vniuerſi Ordinis Eremitarum D. Auguſtini
Moderatori vigilantiſs.

F. AMBROSIVS BELTRAMVS
VENETVS,

EIVSDEM ORDINIS PROFESSOR,
ET THEOLOGORVM MINIMVS. S.P.D.

RELIGIOSORVM *ſtatum (Pater ampliſſime) à toto ferè terrarum orbe in honore, ac obſeruantia ſemper habitum fuiſſe, ſummisq; laudib. exornatum, illuſtratumq́; , ecquis eſt, qui non videat? Cum huiuſce ſtatus auctor Saluator noſter Chriſtus extiterit, atque in hunc duodecim Apoſtolos elegerit, qui cum eo vitam duxe-*

rint (vt aiunt) in communi, ac bonis fortunæ omnibus ſeſe abdicarunt; immo omnia ſunt aſpernati, vt Chriſtum lucri facerent. Horum exempla quamplurimi Patres, ſanctitate vitæ decorati, vt imitarentur, omnibus viribus contenderunt, quin hodie omnia ſtudia, omnem operam, atq; induſtriam huc non pauci Jeſu Chriſti amore capti, hanc Religionem Apoſtolicam ingredientes conferre ſolent. Verum ad huiuſmodi ſtatum, ſeu vitam, ſumma omnium Chriſticolarum ordinum frequentia (vt optimorum Virorum monumenta teſtantur) acceſsit, hoc eſt, Comites, Duces, Principes, Reges, necnon Imperatores. Itaq; Religioſorum ſtatum, præſertim verò eorum, qui vulgo non immeritò Mendicantes nuncupantur, propterea quod ad Apoſtolorum exempla vitam communem vixerunt, nihil poſt hominum memoriam fuit, aut erit optabilius, nil præclarius, nilvè ſanctius vnquàm. Verùm .n. verò, cum neſcio quos murmurare, ſiue muſsitare acceperim, aſſerentes maiorem noſtrorum Mendicantium partem eſſe in ſtatu damnationis, eò quòd (vt ita dicam) proprietarij ſint, poſſidentes (vt ferunt) de proprio, nec Regulam, nec profeſsionem ſeruantes. Hæc vbi primùm ita dici audiui, me maximopere pertubarunt, atq;

acerbè

acerbè afflixerunt. cogitaui enim ſemper, & com pertum habui, me in hoc ſtatu fieri poſſe ſaluum, cùm planè viderim tot Patres, qui ex abditis ſacrarum litterarum fontib. non parum hauſerunt, vixiſſe eam vitam, quæ in præſentia viuitur, nec vnquàm ab eis hunc viuendi modum contemptum eſſe. Quare certum conſilium cepi, vt viderem, an iſte modus noſter viuendi nos redderet proprietarios, noſtrumq́; ſtatum turpi illa nota, inſignive ignominia proprietarij condemnaret. Complures igitur lectitaui Doctores Catholicos, tum religioſos, tum laicos, qui de hoc non inſulsè ſcripſerunt. Quæ autem ad propoſitum huius negotij pertinere mihi videbantur, hæc ſum ſcriptura perſecutus, vt ſatis mihi ipſi facerem, vtilitatemq́; aliquam compararem, qua me ipſum graui ſolicitudine animi, quam è ſermonibus eorum, qui nos in ſtatu damnationis eſſe dicebant, leuarem, ac me ab illa penitus liberarem. Hinc libellum hunc confeci, quem cum perfamiliaribus meis, Patribusq́; in ſacra Theologia initiatis legendum propoſuerim, imprimendum eſſe cenſuerunt. quod vt facerem, ſingulari ſtudio à me contenderunt. Id verò, quoad fieri à me potui, renui, ac reieci ſemper. Sed cuiuſdam præſtantiſſimi Viri, cuius voluntati non morem gerere, iuſ-

ſisq;

ſisq; non obtemperare, non potui, ſuaſionibus, adhortationibusq; tandem aliquando euictus, manus (vt fertur) dedi. Nunc verò hunc partum meum in lucem dare cogor. Cumq; in animo voluerem, cuinam potiſſimum Mæcenati eum conſecrarem, Tu meo occurrebas animo, Ampliſſime, ac præſtantiſſime Pater, Tu (inquàm) eorum, qui litteras cum Philoſophicas, tum Theologicas à limine non ſalutarunt, ſed planè norunt, doctiſſimus; quem mihi perpetuò obſeruandum in Terris (poſt Deum) propoſui: & quidem non iniuria. Tibi igitur, quem patronum, columenq; firmiſſimum inter multos elegi, hunc partum offero, ſacro, & dono, vt tua ope, tuo præſidio à maleuolorum, & inuidorum morſibus tutus fiat. A me igitur munuſculum hoc habebis, qualecunq; ſit: exiguum inquies: fateor: Hoc autem ne ſpectes, at meum animum, meæ in te voluntatis, & ſtudij argumentum. Siquid verò in eo errati repereris, (nam & me eſſe hominem, & facilè errare poſſe non eo infitias) audacter emendes. Nullius enim ego hominis, nedum tanti uiri, ſummi Philoſophi, ac Theologi, cenſuram ſubire vnquàm grauabor. Quandoquidem, ſi tuo limatulo, ac perpolito iudicio prælis committendus dijudicabitur, in lucem prodire audebit;

bit;

bit; ſin ſecus, parietibus meis pedem efferre amplius non tentabit. Præterea in eo ipſo ſiquid contra normam Latini candoris inuenias, quod facilè fore arbitror, me, amabò, excuſatum habeas. Vera enim Theologorum, & Summiſtarum ſenſa exprimi aliter non poſſunt, & verba potius rebus, quàm res verbis inſeruire debent. Vale, decus, ornamentum, ſplendidiſſimumq; iubar Religionis noſtræ, quæ tuo regimine prudentiſſimo, ac vigilantiſſimo iucundè, fœliciterq́; viuit. Deus autem Opt. Max. tua tibi omnia fortunet, teq; ad ſublimiora prouehere non dédignetur. Iterum vale.

Venetijs, Kal. Nouemb. M. D. XXC.

FR. AMBROSII BELTRAMI VENETI,

DE PROPRIO NON HABENDO IN RELIGIONE Tractatus.

CAPVT PRIMVM.

DOMINVS IESVS CHRISTVS, Saluator noſter, verus Deus, & verus Homo, & Magiſter veritatis, atque primus Euangelicæ paupertatis fundator; quamquàm Dominus omnium rerum exiſteret, cunctorumque Regum Rex ipſe, ac Dominus dominantium foret, non ſolum quantum ad deitatem, verum etiam quantum ad humanitatem, nullius tamen rei voluit ſe in hoc mundo poſſeſſorem oſtendere: immo, vt veram, profun-

damq. omnibus prædicaret paupertatem. dicit Luc. cap. 9. Vulpes foueas habent, & volucres
Matth. 8. cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum. Et alio in loco ait, Luc. 14. Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quare Apoſtoli, quidquid poſſederunt, eum ſequentes, reliquerunt. Vnde Petrus in perſona omnium Apoſto-
Matth. 19. lorum dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Viuebant enim omnes ſimul ſuo cum Magiſtro ex eleemoſynis, quas de fidelium ſuſcipiebant facultatibus.
Cap. 8. Vnde Lucas Euangeliſta narrat, quòd quædam mulieres ſequebantur Chriſtum, vt ei de ſuis facultatibus miniſtrarent, quæ à Chriſto diuerſis languorum generibus beneficium ſanitatis ſuſceperant. Poſt verò Chriſti reſurrectionem Apoſtoli eum modum viuendi obſeruarunt, vt inter eos nihil eſſet proprij, ſicut legitur in Actibus Apoſtolorum cap. 4. Vbi Apoſtoli conſulebant, omnia bona eorum, qui ad fidem conuertebantur, vendi, eorumq. pretia, illorum ante pedes deponi, & conſignari, ac deinde diſtribui ſecundum vniuſcuiuſq. indigentiam, & prout opus erat. Cum autem per Apoſtolorum prædicationem credentium creuiſſet multitudo; & de alienigenis, diuerſisq. gentibus ad Chriſti fidem multi confluxiſſent, ob tamen inueteratam eorum Gentilitatem, & vt libentius fidei erudimenta ſeruarent,

nil

nil aliud eis imponebatur, niſi vt à fornicatione, rapinis, & ſanguine, & ſuffocato, ac idolorum immolatione ſe abſtinerent, vt habetur Actuum c. 15. Ob eamq. libertatem, quæ Gentibus propter eorum infirmitatem indulta eſt, iſte primus, ac ſanctus feruor viuendi in paupertate apud etiam perfectos Chriſtianos friguit: exiſtimantes, id, quod gentibus pro infirmitate conceſſum, ſibi etiam licitum extitiſſe: vtpote, prædia, domos, agros, aliaq. bona pro eorum vſibus retinere.

Locupletatis poſtea à Conſtantino Eccleſijs, cunctis laicis habere proprium à Silueſtro primo Pontifice Maximo fuit conceſſum: dummodo annuas Decimas ſuis ſoluerent Sacerdotibus, viuentibus adhuc in communi, vt habetur 12.q. 1. ca. Duo ſunt genera. Sed, creſcente Clericorum auaritia, vita in communi minime contenti; cœperunt, ſicut laici, proprium habere. Quod virus ità paulatim ſubrepſit, vt nulla amplius inter Sacerdotes ſeruaretur communitas. Hinc verò ortum habuerunt Sancti Viri Religioſi. Vnde Beatus Pater noſter Auguſt. hoc videns, ingemuit; & contemplans, quanta fuerat Apoſtolicæ communionis vitæ perfectio; vt ipſam ſaltem Apoſtolorum more in ſuis fratribus, & clericis ſibi ſubiectis eam inſtauraret, ac ordinaret, Statutum fecit, De non habendo proprio, ſed in communi omnia habere, ac tenere. Abdicantes ſinguli, ac

In paupertate viuere, & ſine ꝓprio nõ ꝑcepit Chriſtus: tunc. n. omnes ad hoc tenerent: ſed bene conſuluit, dum Iuueni ait: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibꝰ, & ſeq̃re me. Matth. 19.

Licet rerũ poſſeſſio ſit bona, & à Deo approbata, abdicatio tamẽ rerum, & voluntaria propter Deũ paupertas melior eſt.

vnuſquiſq. bonorum ſuorum proprietatem, contentiq. in paupertate ſemper in ſuo Monaſterio viuere. Ideo dicebat in Regula: Qui aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium; libenter velint illud eſſe commune. Quare omnes profeſſi ſecundum aliquam Regulam approbatam, cupientes ſecundum eam viuere, licet teneantur tria vota Religionis, quæ ſunt eſſentialia in Regula, ſeruare, ad Votum tamen paupertatis, quod eſt abdicatio proprietatis, magis tenentur; cum ipſum magis ſit annexum Regulæ, vt habetur in ſacris Canonibus, extra de ſtatu Monachorum, cap. cum ad Monaſterium. Vbi ſic dicitur; quòd abdicatio proprietatis, ſicut cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ Monachali; vt contra eam, nec Summus Pontifex poſſit licentiam dare. Quamquàm autem in ſummo, & maximo Pontifice plenitudo inueniatur poteſtatis; tamen, vt aliqui Doctores dicunt, prout videbitur, ſuper proprietarijs, cum Monachis diſpenſare minime ipſe poteſt. Quamuis autem Monachum de Monaſterio extrahere poſſit, ipſumq. non Monachum facere, etiam cauſa legitima ſubſiſtente, vxorem ei tradere queat: Non tamen, vt Monachus ſit, ac proprietarius, facere vnquàm poteſt. Facere enim Monachum proprietarium, eſt facere Monachum non eſſe Monachum ſimul, & ſemel. Quod rationi repugnat, & implicat contradictionem, dicunt iſti. Nec mi-

rum

rum videtur. Quoniam nulla virtute, etiam ſi infinita ſit, eſſentialia alicui auferri poſſunt. Vt, quod homo ſit animal, & non rationalis. Id neq. natura, neq. infinita sũmi Dei poteſtas valet; quia implicat contradictionem, &, vt dicunt Theologi, ſeparare diffinitionem à diffinito, Deus facere non poteſt. Sed omnis Regulæ approbatæ eſſentialia ſunt tria Vota, videlicet, Obedientia, Caſtitas, & Paupertas. Ergo à nullo Regularum genere Religioſorum, hæc tria vota eſſentialia tolli poſſunt, ſic inquiunt illi Doctores. Oppoſitum autem, vt videbitur, dicunt complures Doctores, tam in Sacra Theologia, quam in iure Canonico. De quibus Votis loquitur B. Pater Auguſtinus in Regula ſua, & primo de Voto paupertatis, cum dicit, Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, &c. De Voto Caſtitatis cum dicit, Oculi veſtri etſi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nullam. Vltimo de Sancta Obedientia: cum dicit: Præpoſito veſtro tanquàm patri obediatur, &c. Et Regula ipſa principaliter in iſta tria diuiditur, & ad iſta tria principaliter tendit: quia ſunt de eſſentia Regulæ, & Religionis. Itaque iſta tria ſiquis non obſeruet, mortaliter peccat. Qui ergo vult proprium habere, & aliquid ſibi retinere propria auctoritate, mortaliter peccat, quia Votum paupertatis non obſeruat; vt dicit Beatus Antoninus, & alij Theologi, ac Doctores Canon. Vnde Beatus

Vrbanus Papa, prout habetur in Decret. 12.q.1. cap. Scimus, inquit: Quicunque veſtrum vitam communem ſuſceptam habet, & vouit ſe; nil proprium habere, videat, ne pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed fideliter cuſtodiat, ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat. Et extr. de ſtatu Monachorum.cap.cum ad Monaſterium, dicitur, Prohibemus diſtrictè in virtute obedientię, ſub obteſtatione diuini Iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat. Hæc ſecundum opiniones illorum Doctorum.

Loquitur ibi, quoad Monachos, qui arctiori mō viuebant, vt patet in littera: & nō ad omnes Religioſos, præcipuè non habentes Regulam ita arctam, ſicut eſt illa Monachorum.

CAP. II.

VT autem in hoc tractatu, diſtinctè procedamus; primo videndum eſt, Quidnam ſit proprium, de quo nūc habetur Sermo; & in quo conſiſtat ipſa proprietas; & quomodo bona conſcientia Fratres profeſſi ſecundum Regulam B. Aug. poſſint eis oblata bona tenere abſque proprietatis peccato. Sciendum eſt ergo, quòd proprium, quod facit Religioſum proprietarium, vt ait Beatus Antoninus, & alij Doctores ſupr. cap. cum ad Monaſt. nil aliud eſt, niſi quod celatur Priori ſuo, ſeu ſuo Prælato, vel contra eius voluntatem teneat; Vt ſi quis habeat, vel teneat pecuniam, vel veſtem, neſciente prælato, vel ſi ſciat, tamen contra eius voluntatem, & abſque ipſius licentia

3.par. Summ. Tit.16.cap.de Paupertat. Religioſorum. & Archi. & Io. And. ſup. cap. cum ad Monaſt. extr. de ſtatu mona.

centia talia vult tenere. & ſic proprietarius dicitur. & ideo in ſanctis decretis dicitur cap. Non dicatis. 12. q. 1. Cum huius veſtræ congregationis Fratres non ſolum facultatibus, ſed voluntatibus proprijs in ipſa ordinis ſuſceptione renunciauerint; & ſe per promiſſam obedientiam penitus aliorum voluntati in Chriſto, & pro Chriſto ſubdiderunt. Certum eſt (ſunt autem verba B. Auguſtini in ſua Regula) Fratres nihil habere, poſſidere, dare, vel accipere debere ſine ſui ſuperioris licentia, &c. Non poteſt ergo Monachus, ſeu Religioſus profeſſus, vt dicitur etiam ext. de ſtatu Monachorum, cap. Monachi, tenere, nec dare, nec accipere ſine ſui prælati licentia: aliter proprietarius diceretur. Immo ad iſtum ſenſum Beatus P. Auguſtinus, ait in Regula, & habetur etiam in Decretis, cap. Non dicatis. vt ſupr. Quicunque in tantum progreſſus fuerit malum, vt occulte literas ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit; ſi hoc vltrò confiteatur, parcatur ei, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, & conuincitur, ſecundum arbitrium Præpoſiti grauius emendetur. Si non licet accipere occultè, multo minus tenere, abſque ſui ſuperioris licentia, fas erit. Superior eſt ille, cui profeſſus ſe obligat in profeſſione, id eſt cui obedientiam promittit.

Tom. primo. Regul. prima.

12. q. 1.

Iſta verò retentio bonorum, non eſt quantum ad dominium; quia talem licentiam non poteſt Prælatus concedere; quia tùnc de Monacho face-

ret

ret ſimul non Monachum ; quia faceret ipſum proprietarium, quod non poteſt. vt dicitur extra de ſtatu Monach. cap. cum ad Monaſt. Sed bene quantum ad vſum, ſemper Dominium ſtat ad Monaſterium ; Vſusfructus, vel vſus tantum ad Fratres, quoniam ratio proprietatis, ſecundum Canoniſtas, & Scotum in 4. Sent. & alios Theologos Diſtinct. 38. non conſiſtit in vſufructu, ſed in Dominio rerum : quo Dominio ſe carere oſtendunt Fratres, quando nihil proprio Iudicio, ſed Iudicio ſuperioris tenent, & poſſident : parati tamen de omnibus viuere ſecundum voluntatem, & arbitrium Præſidentis. Proprium enim, vt dicunt Legiſtę, eſt Dominium rei, iuſtis modis acquiſitum. Dominium autem eſt ius vtendi, poſſidendi, & habendi aliqua re ſimpliciter pro libito voluntatis. Ideo talia poſſunt profeſſi per modum vſufructuarij, quantum ſua expoſcit ad vſum ſuum neceſſitas, poſſidere, ac toto tempore vitæ ſuæ. Nec per hoc læditur abdicatio proprietatis, ſeu Votum paupertatis, quia omnia illa non ſibi vendicat profeſſus iure, aut dominio ſibi competentibus, ſed ſola diſpenſatione, & beneplacito Præſidentis, penes quem omnium bonorum, tam communium, quàm perſonalium, plenum ius, & dominium reſidet. Et ſic concludunt multi Canoniſtæ, vt Ioannes Andr. Gloſator Decretorum, Gaſpar de Calderinis, & Ioannes de Cald. qui fuerunt Viri famoſi in iure canonico ſupra dictum.

Ratio Proprietatis.

Propriũ quid ſit.

Dñium quid ſit.

ctum cap. cum ad Monaſt. extr. de ſtatu Monachorum, quòd habere huiuſmodi bona de licentia ſuperioris; non eſt habere proprium. Itaq. talia haberi poſſunt ſine peccato proprietatis. Tunc autem eſſet proprietarius, quando aliquid teneret, ac poſſideret, inſcio, aut vetante Abbate, vel Priore; quia quantum ad hoc Dominium alterius non recognoſcit, nec alterius voluntati ſe ſubijcit. Quod eſt directè contra profeſſionem, ac obedientiæ votum; cum Monachus non habeat, Velle, nec Nolle. Ex his omnibus breuiter dictis. Ego Frater Ambroſius concludo ex mente Theologorum, quos vidi, ac Doctorum in iure canonico, quòd Bona, quæ particulariter habemus, & poſſidemus, liberè de licentia ſuperioris permiſſa, & conceſſa quantum ad vſum habere, ac tenere poſſimus. Neque hoc dicitur eſſe contra Votum Paupertatis, neque conſtituit Religioſum proprietarium, nec tollit vitam communem, nec deſtruit vitam Apoſtolicam, nec eſt contra Regulas Beati Auguſtini Patris noſtri. Sed quantum ad Dominium tenere non debemus, quia bonorum noſtrorum Domini non ſumus; ſed Monaſterium, in quo profeſſi ſumus. Cum de bonis nobis conceſſis, minime teſtari poſſimus ſine licentia. Nam Dominium in talibus non habemus, ſed Monaſterium. Ideo dicitur in iure, Quicquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio, & bona Monachi, ſeu Fratris profeſſi, non

Concluſio.

ſunt bona ſua, ſed Monaſterij. Veritas autem huius concluſionis, patet primo per Dominum Innocentium Papam, extr. de ſtatu Monachorum in cap. ſupra allegato, Cum ad Monaſt. Vbi dicit: quòd Abbas poteſt diſpenſare cum Monacho, ut peregrinetur, & viaticum portet; non tamen id poſſidebit nomine ſuo, ſed Monaſterij, nec de illo teſtari poterit, niſi pro magna, & vera cauſa. Similiter Bonifacius IX. conceſſit fratribus Prædicatoribus, qui militant ſub Reg. S. Auguſt. & in illa profitentur: quòd Fratres bona temporalia, quæ ipſis pro tempore largiuntur, ſeu alia ex ſucceſſione illis proueniunt, de licentia ſuorum Prælatorum poſſint apprehendere, eaq. vendere, eorumq. pretium in ſuos vſus conuertere. Clemens etiam IIII. nonnullis aſſerentibus, quòd Fratres, eo quòd non valent proprium poſſidere, non poſſunt in hæreditatem ſuccedere: declarauit in quadam Bulla eiſdem fratribus conceſſa, quòd in temporalibus bonis, in quibus ſuccederent in ſæculo exiſtentes, licite poſſint ſuccedere; & bonorum ipſorum poſſeſſionem apprehendere, ac vendere libere bona conſcientia, & eorum pretium in ſuam vtilitatem conuertere; prout melius eis videbitur expedire. Hoc idem priuilegium Clemens IIII. conceſſit Fratribus Minoribus. Similiter Sixtus IIII. per amplius ipſis Minoribus conuentualib. hoc idem conceſsit, & per communicationem priuilegiorum etiam

Diſpẽſatio circa bona particulariter fratrum à Sede Apoſtol. largita.

nobis

nobis hæc omnia conceſſa ſunt: immo & Nos Auguſtinenſ. habemus duo priuilegia a Sede Apoſtolica nobis directe conceſſa; pro ſecuritate conſcientiarum noſtrarum; quæ quidem priuilegia nobis conceſſit Dominus Alexander IIII. qui fecit vnionem in ordine noſtro ex Fratribus, hinc inde diſperſis, ipſum augendo, dilatando, multiſq. gratijs decorando: Anno Dñi M. CC. LVI. Vnde Magiſter Ambroſius de Cora, noſter olim Generalis totius ordinis, fatetur ſe vidiſſe, ac legiſſe huius optimi Pontificis, ad decorem, vtilitatemq. ordinis noſtri, quatuor, & viginti priuilegia. Inter quæ præfatus ſummus Pontifex conceſſit Fratribus noſtris, quòd poſsint petere, accipere, ac retinere omnia bona temporalia, tam mobilia, quàm immobilia, quæ potuiſſent habere ſi remanſiſſent in ſæculo, exceptis feudalibus. Bulla ſic incipit, Religionis veſtræ meretur honeſtas, &c. Tranſumptum, vt ſcribit Ambroſius de Cora, eſt in Nuremberges prouinciæ Bauariæ. Quod quidem Tranſumptum fatetur idem Magiſter Ambroſius ſe vidiſſe, ac legiſſe. Et in alio priuilegio de eadem materia, ſic idem Pontifex dicit: Non obſtante quacumque contraria conſuetudine, vel ſtatuto alicuius loci, per quæ bonorum huiuſmodi petitio impediri valeat. Bulla ſic incipit, Deuotionis veſtræ precibus inclinati, &c. Bulla eſt in Ratiſpona prouinciæ Bauariæ. Et, ſi alia diſpenſatio in ordine noſtro non eſſet, iſta

Summi Pontificis ſatis ſufficeret. Et, licet ſit aliqua diuerſitas apud Theologos circa diſpenſationem iſtorum trium Votorum Religionis, i. Obedictiæ, Paupertatis, & Caſtitatis: Vnde S. Thomas 2. 2. q. 88. Artic. ij. dicit, quòd in Voto ſolenni Caſtitatis (quia continentia eſt eſſentialiter annexa ſtatui Religionis; ſicut ſupra dictum eſt) non poteſt per quęcumque diſpenſari: & hoc probat per cap. Cum ad Monaſt. Extr. de ſtatu Monachorum, vbi dicitur, quòd Caſtitas eſt ita annexa Reg. Monachali, quòd in ea non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, &c. & ita dicendum eſt de Voto Paupertatis. Cum ipſum etiam magis ſit annexum Reg. vt ſupra declaratum eſt. & cum ipſo D. Thoma tenent etiam Albertus Magnus, & Auctor Summæ Armillæ, verſic. Diſpenſare. §. 12. Tamen multi alij oppoſitũ tenent, ſicut etiam narrat Auctor eo in loco Summæ Armillæ, Summa Silueſtrina, Votum 4. §. 5. & etiam Auctor Summæ Piſan. verſic. Religio primo. §. 14. Vt Auguſtinus de Ancona, Henric. de Gandauo in Quolibet. Herueus in quarto, diſt. 38. Ioannes de Neapoli in Quolibet. Durandus in 4. Hug. Cardinalis, Archidiac. Summa Angelica, Baptiſtina, & Roſella, & Dominus Panormitanus, cum Canoniſtis ſupra dictum cap. cum ad Monaſt. Innocent. Papa, Hoſtienſ. Petrus de Palude 4. ſent. diſt. 38. q. 4. concluſ. 2. Scotus eadem diſtinct. S. Bonauentura, Ricardus etiam eadem diſtinct. Art. 9.

Archid. Io. And.

q. 1.

q. 1. tenent iſti omne votum etiam Religionis eſſe diſpenſabile à Papa, exiſtente cauſa rationabili: & ſic in voto ſolenni Caſtitatis, & Paupertatis, vrgente rationabili cauſa, poteſt Papa diſpenſare, & ad auctoritatem Decreti ſupra, extr. de ſtatu Monachorum, cap. cum ad Monaſt. &ç. Vbi dicitur, quòd Abdicatio Proprietatis, & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ monachali, quòd in ea neque Summus Pontifex poteſt diſpenſare; quia, cum expropriatio, quoad ius, & dominium, ſit de eſſentia ſtatus monachalis; facere monachum proprietarium eſſet facere de Monacho nõ Monachum ſimul, & ſemel. Quod rationi repugnat, quia implicat contradictionem, &ç. Reſpondet Dominus Ricardus ad hanc auctoritatem, quæ videtur Scopus in hac materia, quòd, quamuis Summus Pont. non poſſit facere, quòd ſit Monachus abſque abrenunciatione proprietatis: quia hoc eſſet facere contradictoria ſimul: tamen poteſt facere de Monacho non Monachum, ſi cauſa rationabilis affuerit: ſed, non exiſtente cauſa rationabili, non poteſt diſpenſare in iſtis votis Religionis, poteſt autem, rationabili vrgente cauſa. Huius verò opinionis videtur eſſe etiam Hoſtienſ. Innocentius, Hugo Cardinalis, & Ioann. Theutonicus, qui dicit, quòd de facto vidit diſpenſari, vt ſcribit Nicolaus de Orbel. 4. ſen. diſt. 38. §. 30. & cum iſtis ſunt etiam complures alij, vt ſupra dictum eſt: immo, vt narrat Auctor Sum

mæ

mæ Piſan. ſupra Dominus Bartholomæus de Piſis. §. 14. Quod Sanctus Thomas in ſcriptis 4. ſent. diſt. 38. dicit, & ita eſt, quòd illi probabilius dicunt, qui aſſerunt, quòd, ſi communis vtilitas totius Eccleſiæ, vel vnius Regni, vel Prouinciæ exposceret: poſſet Papa in Voto Continentiæ, & Religionis diſpenſare, quantumcumque eſſet ſolennizatum. Hoc idem etiam dicit Ricardus ſupra. Rationabilis autem cauſa diſpenſandi in quolibet ſuper erogationis voto, eſt profectus maioris boni, vel vitatio mali, ſiue per comparationem ad Remp. ſiue per comparationem ad vouentem, cuiuſmodi eſt vitatio probabilis Tranſgreſſionis voti. Hoc etiam tenet Dominus Caietanus ſupra 2. 2. Sancti Thomæ. q. 88. Artic. ij. quòd Papa poteſt ſeparare ſtatum monachalem ab hoc homine, faciendo de Monacho non Monachum, & allegat Cæleſtinum III. qui diſpenſauit in hoc. Vt autem materia iſta circa diſpenſationem iſtorum Votorum Religionis ſit reſoluta: dico vna ſecundum mentem plurium Doctorum, tam in Theologia, quàm in iure Canonico: Omne Votum exiſtente cauſa rationabili, eſſe à Summo Põtifice diſpenſabile: quod eſt etiam de his, quæ ſunt ſuper rogationis, vt ſunt Vota Religionis: ſic. n. communiter tenent omnes Doctores Canoniſtæ, vt refert dominus Panormitanus ſupra cap. cum ad monaſt. extr. de ſtatu monachorum: & etiam dominus Innocentius, qui inter ceteros Doctores

con-

concludit, quòd ex magna cauſa Papa poteſt diſpenſare contra votum Religionis. & ponit exemplum: Si Rex infidelis conuerti vellet ad fidem cum toto ſuo Regno; ſi poſſet ducere Monialem filiam forte alicuius Regis in vxorem. nam credendum eſt, hoc Deo eſſe carius, quam continentiam vnius mulieris: quia etiam Religio, inquit ipſe, ſumpſit ſubſtantiam ſuam ex auctoritate Romani Pontificis. Ille ergo, qui conceſſit, poterit etiam diſpenſare. & ad auctoritatem, ſuprà quam fundantur aliqui Theologi, vt Diuus Thomas, & aliqui alij, volentes, quòd nullo modo poſſit Summus Pontifex diſpenſare in votis Religionis propter verba illa de ſtatu Monach. cap. cum ad monaſt. vbi dicitur, quòd Abdicatio proprietatis, & caſtitas adeo ſunt annexa Regulæ monachali, vt nec contra illam Summus Pontifex valeat licentiam dare: Reſpondet ibi dominus Innocentius quòd verbum, Licentia, intelligitur, quando hoc facit ſine cauſa, id eſt ſola ſua voluntate. & dicit Panormita.ibi, quòd hoc eſt notandum, vel, vt dicit Panorm. quando ſimpliciter vult dare licentiam, non commutando in aliud bonum Deo acceptius. ſed Ricardus, vt ſupra dictum eſt, dicit & ipſe, quòd Papa non poteſt facere, quòd ſit Monachus, & habeat proprium, ſed, faciendo ipſum non monachum, vt puta Clericum ſæcularem, & ſic mutando rei naturam, Papa poteſt facere. Sed Doctores Canoniſtæ tenent contrarium, quòd,

etiam

etiam non mutata rei natura, Papa poteſt facere, quòd quis eſſet Monachus, & haberet proprium: nec hoc apud ipſos videtur implicare cōtradictionem. Vide dominum Ioan. Andr. Decretalium doctorem & Gloſatorem in Merc. in Regu. Semel Deo dicatum, &ç. De regu. iur. 6. lib. & vide pro Canoniſtis Archid. in cap. ſolet. 32. q. 2. vbi dicit, quòd monachus haberet proprium, non eſt contra ſubſtantiam monachatus, ſed eſt de conſtitutione Eccleſiæ: nam monachus nihil aliud eſt, quàm ſolitarius, & triſtis, vt dicitur 16. q. 1. cap. placuit. idem dicunt Hoſtienſ. & Innocentius in dicto cap. cum ad monaſt. & dominus Laur. & ſic ſecundum iſtos Doctores famoſiſsimos habetur, quòd Papa poteſt diſpenſare, quòd monachus exiſtens monachus poſsit habere proprium. Hæc omnia habentur etiam in Summiſtis, & pręcipuè in ſumma Roſella, Baptiſt. verſic. Papa. §. 4. Summa Angel. verſ. vot. 4. §. 5. Vnde, ſi Abbas poteſt dare licentiam monacho aliqua retinendi, vt dicit Rod. & Scot. in 4. ſent. diſt. 38. A fortiori, hoc etiā poterit Summus Pont. ſed Scot. & Rod. dicunt, ꝙ Abbas poteſt dare licentiam monacho aliqua retinendi quantum ad vſum, nō autem quantum ad dominium: quia dominium, & proprietas eſt Monaſterij, vt ſupra eſt dictum. Differunt autem, ſecundum Scotum, Proprietarius, & Vſuarius. Proprietarius dicitur ille, qui non dependet ab alio vtendo. Vſuarius verò, ſeu Vſusfructuarius, dicitur,

citur, qui dependet ab alio. Religioſus ergo (dicit Scotus) vtens re propria auctoritate, quod fit quando celatur Abbati, vel Prælato, vel teneatur contra eius voluntatem, expreſsè in quantitate, & qualitate; eſt proprietarius, & mortaliter agit, & ſic ſequitur, quòd diffinitio proprij data à Legiſtis, & Canoniſtis, prout ſcribit Beatus Antoninus, eſt bona, ſcilicet quòd proprium dicitur illud, quod celatur Prælato, & ex conſequenti ſequitur concluſio noſtra probata, ſcilicet, quòd de licentia Prælati poſſumus bona temporalia tenere, quantum ad vſum, non autem quantum ad dominium, & ſi ſecundum ius Canonicum, & Ciuile, Religioſi poſſunt ſuccedere in bonis parentum, & hæreditatem accipere: nec poſſunt eorum parentes exhæredare propter crimen ingratitudinis commiſſum in ſæculo. vt clare dicitur in Sanctis Decretis. decimanona quæſtione tertia. cap. final. & in iure Ciuili. C. de epiſcop. & cleric. l. Deo nobis. quanto magis de licentia ſui Prioris, poterunt accipere, & tenere bona eis donata, ſine peccato proprietarij, & ſine tranſgreſſione Voti Paupertatis, &c.

CAP. III.

3. par.tit. 16. De paupertate Religioſorum ſeruãda.

BEATVS vero Antoninus in tractatu, qui dicitur, Defecerunt, in capitulo de Voto paupertatis; ſic ſcribit, ꝙ Religioſus profeſſus, ſi reperit ſe in loco, vbi non viuitur in communi totaliter. Propter quod oportet ipſum ſibi prouideri de neceſſarijs, vt habeat aliqua veſtimenta, vel pecuniam, & alia huiuſmodi de licentia, & beneplacito ſui prælati; aduertat diligenter. Primò, quòd ſemper ſit paratus ſimpliciter ponere omnia in communi: ſi alij Fratres ſic uellent, & prælatus ita prȩciperet. hoc enim Beatus Antoninus dicit, ne videatur Religioſus dominium rerum poſsidere, & tenere, & non uſum tantum. Secundò, quòd de huiuſmodi conceſsis nihil det ſine licentia ſui ſuperioris generali, vel ſpeciali, niſi in extrema neceſsitate. Tertiò, vt non theſaurizet, nec ſuperflua teneat, nec delitioſè quærat, nec multum inquirendo ſolicitet, nec habeat inordinatum effectum in huiuſmodi rebus conceſſis, quia ſic non religioſè uiueret, ſed laicaliter.

Paupertas uoluntaria è omnium rerũ terrenarum contemptus.

Hæc Antoninus. Vnde pro ampliori declaratione animaduertendum eſt, duos fuiſſe, & eſſe, & fore modos viuendi in paupertate uoluntaria. Vnus, quòd Fratres nihil habeant in particulari, niſi quod eis detur per modum ordinariȩ prouiſionis: ſed in communi. Secundus, quòd nihil habeant

beant nec in particulari, nec in communi, niſi, quod eis datur per modum eleemoſynæ, & mendicitatis. Primus modus eſt quorundam Religioſorum, ſeu Monachorum, & aliorum habentium poſſeſsiones in communi, & eorum ſingulis prouideatur, prout cuiq. opus fuerit. Secundus modus eſt, non habentium poſſeſsiones, vel redditus in communi, ſed tantum de eleemoſynis uiuentium. Et circa hos duos modos in paupertate uiuendi, duplex etiam dicitur eſſe communitas in Religioſis. Vna dicitur totalis, & in toto. Altera vero non ſic totalis, ſed in parte. Communitas totalis, & in toto ſeruatur in Monaſterijs quibuſdam diuitibus Monachorum, & in alijs quibuſdam pauperibus, qui ſic uiuere uolunt in ſumma mendicitate, & paupertate. Sunt enim aliqui Religioſi, qui nullum ſtabile, uel immobile uolunt habere, ſed in ſumma mendicitate, ac paupertate uiuere uolunt.

4 par. Ant. tit. 12. cap. 3. §. 1.

Communitas dupliciter.

Communitas non ſic totalis, ſed in parte ſeruatur in noſtris Monaſterijs Conuentualibus, in quibus propter paupertatem non poteſt ſic prouideri ſicut in diuitibus: quia vix poteſt ſuperior prouidere de tenui victu, qui ſeruatur in vno cellario: ſed in alijs neceſſarijs, vt veſtitu, libris &c. dimittit onus cuilibet, vt ſibi iuſtis modis prouideat: & ideo, qui iſta ſibi procurat, ac tenet, & hoc facit ex intentione ſui ſuperioris, non peccat. Sed diſpoſitio ſubditorum talis eſſe debet, vt parati ſint

ſecundum hunc, vel illum modum viuere prout ſuis Maioribus prælatis placuerit, ſicut non habentes velle, nec nolle. Sic etiam primi Chriſtiani in primitiua Eccl. & Apoſtoli Domini vno tempore in diuerſis locis, alio, & alio modo viuebant. Nam illi, qui erant in Hieruſalem, videbantur ſeruare communitatem totalem, & viuere in communi, vt faciunt quidam religioſi, ponentes pretia, agrorum ad pedes Diſcipulorum, prout habetur Actuum 4. Illi autem diſcipuli, & Chriſtiani, qui erant in Antiochia, in qua Petrus Vicarius Chriſti primam Cathedram, hoc eſt, ſedem Apoſtol. tenuit per ſeptem annos, donec iuſſu Dei eam tranſtulit Romam, vt dicit B. Marcellus Martyr.

Act. cap. 11. Illi ergo in Antiochia, qui primi appellati ſunt Chriſtiani, non viuebant in communi totaliter, ſed more Conuentualium poſſidebant, & tenebant poſſeſſiones, & pecunias, ſicut patet, quia compatientes paupertati eorum, qui erant in Hieruſalem, fecerunt inter ſe collectas, dantes quilibet iuxta ſuam facultatem, & miſerunt illas pecunias Hieruſalem per manus Barnabæ, & Sauli, ut habetur Actuum 11. in fine illius cap. Vbi hæc verba formaliter ſcribuntur. Et diligenter ſunt conſideranda. Dicit ſic Textus eo in loco. In his autem diebus ſuperuenerunt ab Hieroſolymis Prophetæ Antiochiam, & ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famē magnam futuram in vniuerſo terrarum orbe, quæ

facta

facta eſt ſub Claudio. Diſcipuli autem, prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli eorum in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa Fratribus. quod & fecerunt, mittentes ad Seniores, per manus Barnabæ, & Sauli. Similiter B. Apoſtolus Paulus ordinauit, atque præcepit Diſcipulis Chriſti, qui erant Corinthi, atque Galatiæ, vt in prima die Sabbathi omnes inter ſe de ſuis bonis, quæ habebant, ſecundum ſuam poſſibilitatem, vel beneplacitum aliquas facerent collectas, ſeruantes, & cuſtodientes eas vſque ad aduentum ſuum pro eorum ſubuentione, qui erant in Hieruſalem in ſumma neceſſitate, & paupertate, ſicut ipſe Apoſtolus ſcribit in prima ad Corinth. cap. 16. ſic dicens: De collectis autem, quæ fiunt in ſanctis, ſicut ordinaui in Eccleſijs Galatiæ; ita & vos facite per vnam Sabbathi: Vnuſquiſque veſtrum apud ſe reponat; recondens, quod bene placuerit, vt ne, cum venero, tunc collectæ fiant. Hæc eo in loco, ſimiliter & Diſcipuli, qui erant in Achaia, & Macedonia, hoc idem fecerunt, vt habetur 15. ad Rom. & 2. Cor. c. 9. Et ideo Ioannes XXII. anno Domini M. CCC. XXIIII. declarauit illos eſſe hæreticos, qui aſſererent, Chriſtum, eiuſq. diſcipulos nihil habuiſſe in proprio, & in communi, & in his, quæ habuerunt, nullum ius eis fuiſſe, &c. Vt habetur in quadam Extrauaganti, quæ ſic incipit, Cum inter nonnullos, &c. Eſt in Clementina. & vide 4. part. Ant.

Diſcipuli Xp̃i tenebant, & poſſidebant.

3. part. Hiſt. Ant. titul. 21. c. 5. §. 1.

Hæreſis Fraticellorum, uel paup. de Lugduno.

Cur in Iudęa poſſeſſiones, Chriſti Diſci puli non tene bant.

Dubium non eſt, Apoſtolos multa bona habuiſſe i cõ muni, & in particulari. Pecuniam.n. habebant, vt patet Ioann. 4. quando abierant in ciuitatem Samarię, ut cibos emerent. Similiter poſt reſurrec. Chriſti. ut habetur Act. 4. Recipiebãt p̃tia agrorum, & poſſeſſionũ, quæ vendebantur a fidelibus, deq. illis miniſtrabant. Paulus, & Barnabas, nonne collegerunt multas pecunias per eccleſias fidelium, in quibus fiebãt collectæ per ſingulas hebdomadas pro neceſſitatib⁹ eorum, qui erant in Hierufalem. ut ſup. dictum eſt. ut patet Act. 11. Rom. 15. 1. ad Corint. 16. & 2. Corinth.

tit. 12. cap. 4. §. 2. Quòd autem ij Diſcipuli, qui erant in Hieruſalem, poſſeſſiones tenere noluerunt, hoc ideo non erat, vt eis non liceret eas tenere; ſed quia præuidebant Eccleſiam futuram eſſe in Gentibus: prædia, & poſſeſſiones in Iudæa habere noluerunt, vt dicitur expreſſe in Sanctis Decretis, 12. q. 1. cap. Futuram. Vbi ſic incipit cap. illud, & ſunt verba S. Melchiadis Papæ, & martyris, Futuram Eccleſiam Apoſtoli Gentibus pręuidebant. Iccirco prædia in Iudæa minime ſunt adepti, ſed pretia tantummodo ad fouendum egentes, &c. Vel etiá, quia videbant Iudæos perſecutores, qui illas ſi tenuiſſent, ſibi rapuiſſent. Ideo ſanctius iudicauerunt pretia eorum in neceſſarios vſus conuertere. Vnde Beatus Antoninus in 4. part. Summæ, tit. 12. cap. 3. de mente Diui Thomæ contra Gentil. cap. 130. dicit, quòd Apoſtoli præuidebant per Spiritum Sanctum, quòd non diu in Hieruſalem commorari haberent, tum propter perſecutiones, & iniurias illatas à Iudæis, tum propter inſtantem deſtructionem ciuitatis, & Gentis. Vnde non fuit neceſſarium, niſi ad modicum tempus, prouideri. & propter hoc tranſeuntes ad gentes, in quibus firmanda, & perduranda erat Eccleſia, hunc modum viuendi, ſicut fiebat Hieroſolymis non legitur inſtituiſſe. Hæc Antoninus. Sic ergo Apoſtoli habebant, tenebant, & poſſidebant bona iſta mobilia, ac temporalia: & iſta tenere, ac poſſidere non eſt contrà

regu-

regulam Apoſtolicam; nec ex cõſequenti erit contra regulam B. P. Auguſtini, vt oſtendetur, nec contra votum paupertatis, quando ex permiſſione, vel diſpenſatione, ſeu licentia ſuperioris prælati, apud quem ſtat dominium, & proprietas, iſta bona tenentur. Sed pro intelligentia eorum, quę ſupra dicta ſunt, ſciendum eſt, quod, licet in primordio naſcentis Eccleſiæ, Chriſtiani, qui erant in Hieruſalem, cuperent in communi viuere, & nil proprij habere, Tamen talem viuendi modum, ipſi Apoſtoli non præceperunt, nec inſtituerunt, nec ordinauerunt, ſed ipſi fideles ad Chriſtum ſic conuerſi, nullo cogente, nec præcepto, nec voto aſtricti, ſed tantum ſponte, ac liberè, deuotioneq; nec iuſſu aliquo vendebant omnia bona ſua immobilia, & pretium ipſorum ſponte Apoſtolis donabant; vt de eo, quod ſibi placeret, agerent. Valde enim optabant tunc fideles in illo primordio ſic ad Chriſti fidem conuerſi viuere; non ꝙ hoc ipſis præceptum eſſet, cum nec etiam Chriſtus Sanctis Apoſtolis ſuis præceperit, ſed bene conſuluit. ita & ipſi Apoſtoli fidelibus conſulebant, relinquentes ipſos in ſuo arbitrio ad id agendum; cum ad Chriſtiane viuendum hoc non ſit neceſſe. Ideo nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Eccleſia Catholica ad talem viuendi modum aliquem adſtringunt, ſed bene ſuadent, & conſulunt, ſicut Chriſtus conſuluit iuueni illi, ſi perfectiſſimè viuere vellet, vt omnia, quæ habebat, venderet, & pau

peri-

perib. daret, & ipſum ſequeretur, vt habetur Matth. 19. Notandum eſt autem, quod perfectè viuere, non eſt uiuere in paupertate, ſed uiuere in charitate, quia charitas dicitur eſſe vitæ perfectio, & non paupertas: quamquàm ipſa paupertas dicitur eſſe inſtrumentum ad perfectionem vitæ, vt oſtendit D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 184. art. 4. ex mente D. Ioannis Caſsiani, dicentis, in paupertate non conſiſtere perfectionem, ſed eſſe inſtrumentum, & inductiuum ad perfectum. Ideo Apoſt. ad Coloſſ. 4. ait, Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis: non dicit paupertatem, ſed charitatem eſſe vinculum perfectionis. Chriſtus etiam, poſtquam dixit Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, ſubdidit, Et ſequere me. vt innueret, perfectionem conſiſtere non in paupertate tantum, ſed magis in ſequela Chriſti, quæ eſt maximè per charitatem. Ideo dicit Beatus Pater Auguſtinus in principio Regulæ: Ante omnia fratres chariſſimi diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta ſunt præcepta principaliter nobis data. Hæc igitur ſunt, quæ ut obſeruetis præcipimus in Monaſterio conſtituti: quia iſta faciũt ad perfectionem vitæ Religioſæ, & Religiosè viuere, non autem ipſa paupertas. Nam finis Religionis, vt inquit Beatus Antoninus, eſt ipſa perfectio charitatis, quæ conſiſtit in dilectione Dei, & proximi. & ad hanc dilectionem quilibet Religioſus tendere tenetur,

3. par. Summ. Tit. 16. §. 2.

netur, quia ſtatus Religionis, eſt quædam diſcipli na, & exercitium perueniendi ad perfectionem, & ideo ille, qui ſtatum religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, vt habeat perfectam charitatem. Similiter non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem peruenitur: ſed ad illa determinata, quæ ſunt ei taxata ſecundum regulam, quam profeſſus eſt. Vnde Beatus Thomas 2. 2. q. 184. Art. 2. ait, quòd, quamuis Religio ſit ſtatus perfectionis, Religioſi tamen non tenentur perfecti eſſe, quia perfectiſſima charitas in hac vita haberi non poteſt, inquit D. P. Auguſtinus: ſed ſolum tendere, ſaltem virtualiter, ad perfectionem, quæ eſt eius finis, vel non contemnere illam, & ſic viuere poſſunt in communi, eo modo, quo ſtatus illorum, & exitus monaſteriorum permittunt. & bona in communi habere non derogat Religionis perfectioni, quia Chriſtus, & Apoſtoli habuerunt in communi. & hoc negare, eſt hæreticum, ſecundum quod determinauit Papa Ioannes XXII. in quadam alia extrauag. quæ ſic incipit, Quia vir reprobus, &c. Vide pro hoc D. Thomam 2. 2. q. 184. Artic. 7. Et, licet Chriſtus, Lucæ 14. dicat: Omnis, qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: Iſtud, ſecundum Theologos, non eſt de præcepto, ſed de conſilio. nam ad præceptorum obſeruantiam omnes tenentur, non autem

ad eorum, quæ ſunt de conſilio, niſi qui perfectiſſimè viuere intenderet. vel ſecundum aliquos Theologos, & bene in hoc quomodocunque intelligatur, ſemper referendum eſt ad Affectum, non autem ad effectum. Nam, qui diligit, & mauult iſta temporalia, quàm Chriſtum, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. Neque etiam credendum eſt, Ananiam vnà cum ſua vxore Sapphirra, prout legitur in Actibus Apoſtolorum cap. 5. percuſſos, ſeu interfectos fuiſſe à Deo benedicto: eo quia voluerunt tenere multa bona, & habere apud ſe, & non renunciare Apoſtolis, quę poſſidebant, & in communi ponere, ſicut alij fideles fecerunt, vt credunt multi hæretici, ſed pro tanto fuerunt à Deo percuſſi propter mendacium pernicioſum, & fraudem ab eis perpetratam, vt aſſerunt Catholici Doctores, & textus eo in loco clarus eſt, ſic dicens. Cap. 5. Vir autem quidā nomine Ananias cum Sapphirra vxore ſua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri conſcia vxore ſua, & afferens partem quandam ad pedes Apoſtolorum poſuit. Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri. Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Similiter & vxor eius propter mendacium. Nam, cum dixiſſet ei Petrus, Dic mihi, ſi tanti agrum vendidiſti, at illa dixit etiam tanti, &c. & confeſtim cecidit mortua. Ecce ergo,

go, quòd propter mendacium ambo ceciderunt, vt Clemens Papa confirmat 12. q. 1. cap. Dilectiſs. & non quia noluerunt omnia in communi ponere, & ita viuere, quia de facto etiam multi fideles ad Chriſti fidem conuerſi per Apoſtolos multa bona tenuerunt, & poſſederunt, vt oſtenſum eſt ſupra, & præcipuè diſcipuli, qui erant Antiochiæ, Corinthi, Galatiæ, Achaiæ, Macedoniæ, Romæ, & alibi. eis verò in ſuis neceſſi tatibus vtebantur. ita etiam obſeruant Fratres noſtri, qui ſi aliqua bona in particulari habent, tantum pro vſu ipſorum tenent cum benedictione ſuperiorum ſuorum. Si autem in ſua profeſsione renunciauerunt ſuo Monaſterio, quæ poſsidebant, & habebant, ſicuti fecerunt Sancti Apoſtoli, proprietatem rerum omnium abdicauerunt, non autem vſum. Sequitur ergo concluſio noſtra, &c.

CAP. IIII.

QVOD autem nunc non ſit contra Regulam B.P. N. Auguſtini, talia bona tenere de licentia ſui ſuperioris, quã-tum ad vſum, immo ſecundum Regulam, quam profitentur Fratres noſtri ſic viuere: ſatis amplè, & apertè modo oſtenditur, & declaratur. Nam ſciendum eſt. Cum B. Auguſtinus in prima ſua Regula, in qua declarauit, atque manifeſtauit viuendi modum; præcepe

titq. ibi Fratribus ſuis in vnum habitantibus, nihil habere, vel tenere, nec dare, nec accipere debere, abſque ſui Prioris licentia. Hoc idem etiam voluit ordinare, declarare, ac præcipere in tertia Regula, quam, iuxta preceptum eius, ſemel in hebdomada legi voluit, vt eam diligenter legenti patet. Sic inquit. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis, præcipimus in Monaſterio conſtituti; vt habeatis cor vnum, & animam vnam in Deo: & non dicatis aliquid proprium; ſed ſint vobis omnia communia, &c. Vbi aduertendum eſt, quòd non dicit; Non habeatis aliquid proprium, ſed dicit, Et non dicatis: primum non negat, ſed ſecundũ. Iam enim conceſſerat in prima ſua Regula, atque mandauerat, bona de licentia ſui Prioris data, vel donata, ſuſcipere, ac tenere Fratres ſuos poſſe, vt infra videbitur. & ideo dicit, Non dicatis: & non dicit, Non habeatis.

Tom. 1. & ep. 109. Tom. 2.

Quomodo intelligendũ ſit illud, Et non dicatis aliqd proprium.

Senſus, ac intellectus huius præcepti, & horum verborum, iuxta Sanctorum interpretationem, ac piæ mentis Beati Patris Auguſtini, talis eſt. & illud eſt dignè notandum. Et non dicatis aliquid proprium, id eſt, Bona vobis quantum ad vſum tantum à Præpoſito veſtro, ſiue à Priore conceſſa. Non dicatis aliquid proprium. i. hoc eſt meum, & hoc eſt tuum: quia iſta nomina, meum, & tuum, vt dicunt Grammatici, ſignificant poſſeſſionem quandam, & proprietatem laicalem: cum ſint pronomina poſſeſſiua, quam quidem

dem proprietatem laicalem, rerum dominium denominantem, & non tantum vſum, non debent Fratres habere: quia vt ſic eſſent proprietarij: ideo profitentur ſe ſine iſta in Religione viuere velle, vſque ad mortem: & hanc proprietatem rerum dominium denominantem, & non vſum tantum dicentem, noluit Beatus Pater Auguſtinus apud ſuos Fratres haberi, nec inueniri, nec inter ipſos nominari. ideo præcipiendo in Regula dicit: Non dicatis ſic Fratres mei aliquid proprium, quod vobis conceditur: ſed ſint vobis omnia communia. ideſt, omnia bona vobis ad vſum tantum conceſſa, ſint ſemper vobis communia, ideſt non dicatis meum, vel tuum. ſed vt communia dicatis, ſcilicet noſtra, vt noſtra tunica, noſtra veſtis, noſter liber, &c. vt communiter dicunt Fratres noſtri. Ita hoc præceptum, & verba iſta interpretantur atque exponunt, Dominus Hugo de Santo Victore eo in loco: ita Iſidorus, B. Antoninus, & Dominus Ambroſius de Cora, olim noſter Generalis. Conformiter ad ea, quæ habentur, & leguntur in Actibus Apoſtolorum cap. 4. quòd nullus eorum, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. &, quòd iſta ſit vera mens, ac intentio Beati Patris Auguſtini, in eadem Regula parum infra ſequitur, ſic dicens: Qui aliquid habebant in ſæculo tamquam proprium eis, & ſuum, quando ingreſſi ſunt monaſterium, hoc eſt, pro-

Viuere ſin proprio eſt v uere ſine Do minio, & no ſine rerũ uſu

Et do. Hun be. & don Ioann. Don ſupra dictã gulam.

feſſi

feſſi ſunt in monaſterio, libenter velint illud eſſe commune, ideſt non amplius dicere, hoc eſt meum, & hoc eſt tuum. ſed, hoc eſt noſtrum. Hæc voluit præcipere B. Auguſtinus in dictis verbis, cum dicit: Et non dicatis aliquid proprium. Vnde Seneca dicebat, vt refert Sanctus Bonauentura ſuper Regulam Beati Franciſci: Tutiſſime viueretur ſi tollerentur duo verba: meum, & tuum. Deinde ſequitur Beatus Auguſtinus in Regula ſua manifeſtans, & declarans. Bona omnia Fratres ſuos ſic profeſſos accipere poſſe, ac dare, & tenere non occultè, ſed de licentia ſui ſuperioris, ſic dicens: Quicumque in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit: ſi hoc vltro confiteatur, parcatur illi, &ç. Quid enim eſt aliud, occultè litteras, vel munus aliquod accipere, niſi inſcio Prælato? vel ſine licentia ſui ſuperioris accipere? ergo cum licentia ſui ſuperioris poſſunt Fratres, iuxta Regulam iſtã, accipere litteras, & quodlibet aliud munus. & parum infra etiam dicit: Si aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Quid enim eſt aliud, rem ſibi collatam celare, niſi occultè, & ſine licentia ſui Prælati, bona ſibi data tenere? ergo cum licentia ſuperioris, rem aliquam ſibi oblatam, vel donatam, tenere Fratres poſſunt, ſecundum Regulam iſtam. Non enim reprobat, nec damnat, neque prohibet Beatus Auguſtinus Fratres ſuos in hac

tertia Regula, poſſe accipere, vel tenere: ſed prohibet hoc, ne Fratres ſui, occultè aliquid accipiant, vel teneant: quod eſt ſine licentia ſui ſuperioris, vt clarè videtur, & oſtenſum eſt. Et ita Patres noſtri ſenſerunt, & ad iſtam intelligentiam ſic decreuerunt. Vnde & conſtitutionem vnam fecerunt, ſicuti habetur in libro noſtrarum conſtitutionum cap. 45. in quo agitur de pęnitentia proprietarij, ſic dicentes: Statuimus, quod nullus Frater rem aliquam recipere, emere, vendere, ſiue alienare queat, ſine licentia ſui conuentualis Prioris, nec aliquid dare, vel donare, ſeu vendere ſine licentia proprij Prioris, &c. Similiter in conſtitutionibus noſtrorum Fratrum congregationis Lombardię, de Obſeruantia nuncupatorum cap. 38. de pęna proprietarij, ſic incipit capitulum illud, Rem vllā recipere, dare, vendere, emere, ſiue alienare, vel impignorare nulli liceat, ſine licentia ſui ſuperioris: quod ſi quis contrafecerit, octo dies in pane, & aqua ieiunet, ſine diſpenſatione, ergo &c. Et, quòd iſta etiam fuerit expreſſa mens, ac intentio Beati Auguſtini, ſatis amplè declarauit, determinauit, ac præcepit in prima ſua Regula, quam fecit in Italia, in monte Piſano, quando hanc ſacram noſtram Religionem inſtituit, atque fundauit anno Domini CCC. XC. Ætatis vero ſuæ XXXII. In qua tradidit Fratribus ſuis modum viuendi: ſicut ipſe ſcribit in quodam Sermone ad Eremitas, ſic dicens: Tria præcipuè ad uos preſbyteros

In cōſtitutio nib. ueter. & antiquis.

byteros ſpectant: forma viuendi, ordo miniſtrandi, & modus iudicandi. De forma viuendi, habetis Regulam, quam in monte Piſano, prout potuimus, Fratrib. noſtris primo diligenter condidimus, &c. In qua quidem Regula, declarat, atque mandat Fratribus ſuis, nihil debere accipere, ac tenere, niſi de licentia ſui Superioris. Quæ quidem Regula ſic incipit: Communi diffinitione decreuimus apud vos, quod numquam poſt modum ab vllo poterit infringi, &c. & quaſi in medio, ſic inquit, Et nota: Ecce decretum in Regula. Certum eſt, Fratres (qui in vnum congregati ſunt) nihil habere, poſſidere, dare, vel accipere debere, ſine Superioris licentia: quòd ſi propinquus, vel amicus, vel quilibet Fratrum aliquid offerre voluerit: primò quidem Priori inſinuetur, & ſic ſuſcipiatur, ſi ipſe mandauerit: de quo tamen nihil fiat aliud, niſi quod Priori placuerit, vel permiſerit. Hæc ibi. Quid clarius in Regula? Et iſta prima Regula, quæ etiam non diſcrepat à tertia, eſt approbata ab Eccleſia. Sicut ſunt, & alia opera, & ſermones Beati Patris Auguſtini. immo valde eſt authenticata, atque in ſanctis Decretis a Domino Gratiano canonizata. ut maxime patet 12. q. 1. cap. Non dicatis. in quo iſta eadem verba formalia, in calce illius capituli, ab ipſo recitantur, & ſcribuntur. Sequitur ergo, quòd iſte modus viuendi Fratrum noſtrorum, Bona eis oblata de licentia ſui Superioris tenere, ſit Canonicus, cum ſit

Tomo primo.

12. q. 1. c. Non dicatis.

Vnde Gelaſ. Papa in cap. Sancta Rom. Eccl. diſt. 15. inquit: Opuſcula B. Auguſt. Hippon. epi a Catholica Eccleſia recipiũtur. Nõ ẽ maior rõ de aliquib. opuſculis, quam de aliis. ergo omnia opera B. Auguſt. tam parua, quàm magna, fuerunt ab ipſo Gelaſ. approbata, &c.

ſecundum

ſecundum Regulam Beati Patris Auguſtini: & in ſanctis Decretis confirmatus, vt dictum eſt, & non contra Regulam Apoſtolicam, nec Beati Auguſtini. Et ideo, cum iſte modus viuendi Fratrum noſtrorum, ſit ſecundum Regulam Beati Patris noſtri Auguſtini: non debent tamen ſic poſeſſi arctari a ſuis Superioribus ad ſtrictionem viuendi modum ipſis nolentibus: quia profeſſi ſunt viuere ſecundum Regulam Beati Auguſtini, & non ſecundum beneplacitum ſuorum Superiorum, vel aliorum Prælatorum: & profeſſi ſunt viuere in communi, & ſine proprio, modo illo, qui quidem erat ſecundum Regulam, & non contra: quo tunc pro feſſi Conuentuales ſic viuebant. Quando vero modus ille viuendi fuiſſet contra Regulam, vtique ſic profeſſi poſſunt a Superioribus arctari ad veram vitam Regularem, & verum viuendi modum ſecundum Regulam: ita determinant ſacri Theologi, atque Doctores in iure Canonico. Vide Diuum Thomam 2. 2. q. 104. Artic. 4. & alibi. Vnde doctiſs. Panormitanus in capitulo ſuper eo. de Regul. dicit: quod ingreſſus, & profeſſus in aliqua Religione, in qua tantum ſeruabantur eſſentialia, & ipſe plus non intendebat ſeruare, quàm tunc ibi ſeruarentur, ſi poſtmodum reformetur monaſterium, non tenebitur in conſciẽtia ſeruare, niſi ea, quę intellexerit à principio ſeruare: quia votum debet eſſe voluntarium. Similiter S. Thomas, vt ſup. dicit, quòd, ſi Prælatus, etiam

F cum

cum maiori parte Capituli, ordinet aliquid obſeruandũ ſupra Regulam, arctans illi, qui nõ conſenſerunt, non tenentur ſeruare: prout etiã dicit Glo. c. Geſta. diſt. 74. quia promiſerunt viuere ſecundũ Regulam, &ç. ergo Fratres, qui uiuunt ſecundum Regulam, & non contra ſuam Regulam, nõ ſunt coarctandi ad arctiorem viuẽdi modum, ipſis nolentibus: Cum uiuendi modus, quem obſeruant Fratres noſtri ordinis, ſit, vt dictum eſt, ſecundum Regulam B. P. Auguſt. & non contra ipſam Regulam. Aliquid .n. habere in particulari cum ſuorũ ſuperiorum licentia, non eſt contra paupertatem: nec promittentes paupertatem, intendunt, & promittunt omnem paupertatem: cum paupertas habeat magnam latitudinem. Nullus. n. intendit ſummam, & extremam miſeriam promittete. Nã virtus conſiſtit in medio, quæ remiſſa paupertas dici põteſt, vt ait Auctor in libro, qui dicitur Piorum Clypeus q. 43. de Votis Monaſt. in fin. & aduertant Prælati, inquit, ne faciant ſtatum Religionis magis periculoſum, quàm ſtatum ſæcularem. ſic enim non eſſet ſtatus perfectionis, ſed damnationis. Quod contingit, quando Prælati volunt, aut cogunt ſtrictiſsimè ſubditos ſuos obſeruare promiſſa, quæ Prælati minimè ſeruant, cum fecerint eandem profeſſionem, &ç. Hæc ibi. Sequitur ergo concluſio noſtra. Hæc verò, vt breuiter dici potuerunt, ita à me dicta ſunt.

Reg. B. Auguſtini, dicitͣ latior cæteris Regulis. hinc eſt, quòd ſub iſta amplius triginta Religiones ab Eccleſia approbatę militãt, de qua Regula dicitͣ, Quã, qui amant, & obſeruãt, viã tenent regiã.

CAP.

CAP. V.

RELIQVVM modo eſt, declarare, Vnde, & quando ortum habuit hæc noſtra cōſuetudo, quæ modo ſeruatur apud noſtros Fratres, Bona ſibi oblata, bona conſcientia tenere pro ſuis neceſſitatibus; & quando eis hoc permiſſum, ſeu conceſſum fuit. Sciendum eſt ergo, quòd, licet in primordio noſtræ Religionis vbique ſeruaretur communitas totalis, & in toto, id eſt in victu, & veſtitu propter nimium feruorem, ac affluentem charitatem bonorum Chriſtianorū, qui ſuis pijs, ac ſanctis eleemoſynis, non ſolum fouebant pauperum fratrum monaſteria, ſed valde etiam eis opitulabantur. Taliter, quòd in nullo ſufferebant Religioſis aliquid deficere, nec aliquod incommodum monaſteria ſua pati. Adeoquòd de pijs Chriſtianorum bonorum eleemoſynis prouidebatur Fratribus à ſuis Superioribus in omnibus ſuis neceſſitatibus, quantum ad victum, & veſtitum. Ita tamen, quòd omnes de vno cellario paſcebantur, & de vno veſtiario induebantur, & diſtribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat, ſicut legitur in Regula. Poſtea tamen, frigeſcente Chriſtianorum charitate erga ipſos religioſos, deficientibus autem piorum eleemoſynis, ita tenuia monaſteria deuenere, quòd paulatim collabi vi-

debantur, atque difficile propter penuriam iam ortam in aliquibus noſtris monaſterijs, talis communitas inter ipſos Fratres in victu, & veſtitu conſeruari poterat. Vnde Patres noſtri talia conſiderantes, ne prorſus ipſa monaſteria dilaberentur, vel desererentur, decreuerunt, vt Priores ſingulorum monaſteriorum, perſpicientes talem vniuerſalem communitatem inter ſuos Fratres conſeruari non poſſe; permiſerunt, atque conceſſerunt, vt, ſeruata in victu communitate, & in multis alijs neceſſarijs Fratrum, pro veſtiario tantum certa pecunia vnicuique concederetur, prout facultas monaſteriorum patiebatur, vt clarè poteſt videri in primis Patrum noſtrorum Conſtitutionib. & vſque ad præſens tempus in quibuſdam noſtris monaſterijs talis modus viuendi ſeruatur. Sed, vrgentibus poſtea bellis, tam in Italia, quàm extra, ita loca noſtra ab huiuſmodi imminentibus bellis diruta fuerunt, atque ſuis bonis ſpoliata, quod vix quibuſdam in locis veſtigia tantum remanſerũt. Quapropter, cum locus aliquis non fuerit in noſtra Religione, qui non pauca paſſus ſit ab huiuſmodi repentinis, & diuturnis bellis: non eſt mirandum, ſi ita mendica aliqua reperiantur, quòd amplius ſeruata in totum communitas in ipſis fieri non poteſt. Et adhuc magis, ac magis deficientibus, atque carentibus, non ſolum eleemoſynis, ſed etiam pietate, atque deuotione, erga ipſos Religioſos pauperes, ſicuti modo videtur, & reddi-

tus

tus monaſteriorum, non ualentes pro Fratrum ve
ſtitu, ac ſuorum neceſſariorum, ſufferre, ſeu per-
ſoluere, tum propter nimia bella, tum etiam ex
carentia eleemoſynarum. Et cum apud Priores
locorum quotidie Fratres conquererentur, quod
eis in multis neceſſitatibus non prouidebatur, im-
mo multa eis denegabantur, propter nimiam tũc
monaſteriorum egeſtatem: Vnde Priores acce-
dentes ad Capitulum generale in Ratiſbona, in
prouincia Bauariæ, Anno Domini M. CC. XC.
ſupplicauerunt Patres Religionis, vt in talibus ne-
ceſſarijs, & querimonijs Fratrum prouideretur,
aſſignantes Conuentuum penuriã, & quanta tunc
erat difficultas in modo viuendi, aliter deſerere co
gebantur ipſa monaſteria, propter talem indigen
tiam, & paupertatem: cognita hac veritate, Patres,
timentes, ne id eueniret, atque omnino ipſa mo-
naſteria relinquerentur, in vnum congregati, cir-
ca talium conſeruationem multas ſanctiones fece-
runt, prout tunc melius eis videbatur, prout legi-
tur in noſtris Conſtitutionibus; multaq. Fratribus
tunc permiſerunt: poſtmodum in Capitulo Gene
rali Papiæ celebrato, ſub Generalatu magiſt. Tho
mæ de Argentina, anno Dñi M. CCC. XLVIII.
ſtatutum fecerunt, ſiue decreuerunt, ne, propter
talem nimiam monaſteriorum inopiam, peni-
tus ipſa deſtruerentur, & relinquerentur, ſed ma-
gis conſeruarentur, conceſſeruntque, & permiſe-
runt, vt deinceps Fratribus noſtris Bona, quæ ſibi
à ſuis

à ſuis domeſticis donata fuerint, ſiue aliquo alio iu ſto modo, & honeſto ab eis acquiſita fuerint, de licentia ſui Prioris in ſuorum vtilitate, quo ad veſtitum, & quo ad alia ſibi neceſſaria, accipere, tenere, ac poſsidere poſſe, dummodo talia ſibi conceſſa, poſtea nec dent, nec vendant, neque donent, extra monaſteria ſine licentia ſui Superioris, prout etiam legitur in primis noſtris Conſtitutionibus cap. 45. & in additionibus factis ab ipſo Generali Thoma de Argentina, eodem cap. Et hinc orta eſt cõſuetudo iſta, quę ſeruatur apud Fratres noſtros, ſcilicet, bona, quæ eis donata, vel data fuerint pro ſuis neceſſitatibus, tenere, ac eis vti, in ſuorum vtilitatibus poſſe, prout nunc videbitur, ex noſtris antiquis Conſtitutionibus, & alijs ordinationib. à Patribus noſtris editis. Sciendum eſt ergo, quòd anno Domini M. CC. XXCIIII. poſt unionem in ordine noſtro inceptam à Domino Innocentio IIII. & poſtea augmentatam, ampliatam, atque perfectam, a Domino Alexandro IIII. de mandato ipſius Pontificis Innocentij IIII. fuerunt in ordine noſtro, factę nonnullæ Conſtitutiones, ab ijs duobus Patribus doctiſſimis, ac uita ſanctiſſimis, ſcilicet à Reuerendo Patre, & Beato Fratre Clemente de Sancto Elpidio, uel de Auximo, prouinciæ Marchiæ Anconitanæ, olim totius ordinis Generali, quem, ob eius ſingularem ſanctimoniam, Bonifacius VIII. in ſuum elegit confeſſorem. Hic B. P. aſſumpto ſecum pro ſocio do-

ctiſſimo, ac uita ſanctiſſima Fratre Auguſtino de Terrano, qui fuit etiam ipſe Generalis totius ordinis noſtri: qui quidem pater Sanctus tunc temporis in eremo Roſię propè Senas in magna humilitate latebat, Conſtitutiones ordinis inceptas cum eo examinauit: addendo, & minuendo multa, prout ordini, & ſaluti animarum expediens eis viſum fuit: quas Conſtitutiones præfati ſancti duo viri, per tria capitula generalia examinari fecerunt: primo in capitulo Generali, celebrato eodem milleſimo ſupra in Vrbe veteri: in quo in lucem productę, & publicatæ fuerunt: poſtea in capitulo Generali Florentino, Anno Domini M. CC. XXCVII. fuerunt receptæ: & anno Domini M. CC. XC. in capitulo Ratiſponæ, vbi interfuit Dominus Egidius de Roma, primus magiſter in ordine, Doctor fundatiſsimus, & eruditiſsimus, ab ipſo limitatæ fuerunt, & approbatæ: poſtea anno Domini M. CCC. XII. præſentatæ fuerunt Domino Papæ Clementi Quinto per Venerabilem Magiſtrum Alexandrum de Santo Elipio, Priorem generalem, & ab ipſo Summo Pontifice fuerunt laudatæ: non tamen confirmatæ, propter rationabiles cauſas, & pro bono religionis: tum quia non poſſunt illas tranſgredi ſine culpa, tum etiam quia ordo non potuiſſet pro tempore illas mutare, quod tamen forte expediret: ideo expediens fuit, vt per ipſum Pontificem collaudentur, non autem confirmentur. eodem

Anno Dom M.CC.XXCII

etiam

etiam modo conſtitutiones ordinis non obligant Fratres ex earum tranſgreſsione ad culpam, ſed tantum ad pęnam: niſi vel propter præceptum, vel contemptum: prout dicitur in procemio harum Conſtitutionum. Iſtæ autem Conſtitutiones poſtea, ſecundum tempus, Anno Dñi M. CCC. XLV. à Reuerendo magiſtro Thoma de Argentina, Priore Generali, cui à Patribus data fuit facultas, in Capitulo Generali, celebrato Pariſijs, in Prouincia Franciæ, Conſtitutiones ordinis reformandi, fuerunt limitatæ, amplificatæ, & reformatæ. addendo ſuper eas nonnullas additiones: prout habetur in libro Conſtitutionum. Vnde anno Domini M. CCC. XLVIII. fuit celebratum Capitulum Generale Papiæ, ſub eodem generali magiſtro Thoma de Argentina, & ibi approbatæ fuerunt huiuſmodi additiones: & ſic deinceps in Generalibus noſtris Capitulis, ſecundum temporum exigentiam, fuerunt facta noua ſtatuta, & diffinitiones, ac additiones, prout videbatur Patribus tunc temporis exigentia poſtulare. Vnde venit poſtea paulatim hæc viuendi conſuetudo, quæ modo in noſtris monaſterijs ſeruatur, ſcilicet bona mobilia tenere, poſſidere, ac eis vti pro ſua neceſſitate, quia ſic Priores, & Pręlati permiſerunt, & conceſſerunt. nam ex primis, & antiquis ordinis Conſtitutionibus, quæ in rei veritate fuerunt, & ſunt, vt videntur, ſtrictiores, propter Eremitas, qui ſic viuere optabant. Sed, cum ipſa

Religio

Religio Dei gratia ampliata fuit, & in ciuitatibus firmata, latior venit uiuendi modus, quam in eremis, & ſiluis, ac deſertis locis: ideo uiſum eſt Patribus poſtea ſuper illas limitationes, ac additiones facere, etiam propter penuriam repertam in monaſterijs, ut dictum eſt, & ſic poſtea ſucceſſiuè ab alijs etiam actum eſt. Habetur ergo in primis Conſtitutionib. a Patribus de mandato Domini Papæ Innocentij IIII. inchoatis, & ſub Clemente V. perfectis, ac terminatis; & ab ipſo approbatis: in quibus uidetur permiſſum, ac conceſſum Fratribus fuiſſe, quàquàm tunc temporis etiam in communi uiuerent.. Aliquã tamen bona temporalía emere, accipere, tenere, ac dare, ac eis uti, & non abuti. legitur enim in cap. 45. Conſtitutionum ſic: Statuimus, quòd nullus Frater extra locum, in quo frater exiſtit, ueſtes, libros, uel aliquid aliud ſibi conceſſum reponat, niſi de licentia ſui Prioris, quam licentiam nulli Fratri concedat, niſi cauſa rationabili ſubſiſtente. Rem uero aliam recipere, emere, uendere, ſiue alienare, infra ordinem, nulli liceat, ſine licentia ſui Prioris. Extra ordinem nulli liceat aliquid dare, uel donare, ſeu uendere, ſine licentia proprij Prioris, &c. & in cap. 2. dicitur: Etſi ulli ex fratribus alicui in ordine ſcribere, uel aliquid operari conceditur, vnde aliquid pretium, uel emolumentum percipiat, illud debeat in ſuis, & aliorum neceſſitatibus, ſecundum ſui Prioris arbitrium, diſpenſari. & in c. 13.

ſic dicitur: Si aliquis Frater aliqua infirmitate laboret, vt ſi differatur cura eius de lãguoris perſeue rantia probabiliter timeatur, & talis a conuentu neceſſaria forſitan, quia nimium eget, habere non valet, de denarijs ſibi conceſſis pro indumentis, ſi quos habet, expendet, de conſcientia tamen Prioris. & in cap. 24. dicitur: Debent priores, ac procu ratores illis intendere, qui aſſidue vacant diuino operi, vt habeãt nocturnales calceos, ſi facultas do mus permiſerit in communi. Nam conuentus illis Fratribus non reſpondeat, qui habent, vnde ſibi in talibus prouidere poſſint. & 35. cap. de viſitatoribus dicitur: Viſitatores inquirant, an aliquis aliquid proprium, ſine licentia ſui Prioris habeat: aut de licentia, quod careat honeſtate, &c. & multa ſimilia in illis habentur. ergo ex ijs antiquis Conſtitutionibus clarum & manifeſtum eſt, & nulli dubium, quòd tunc temporis iſta fuit conſuetudo apud illos Fratres, qui in communi viuebant victu, & veſtitu, & in multis alijs neceſſa rijs etiam eis prouidebatur, vt patet legentibus illas noſtras antiquas Conſtitutiones, quod etiam erat eis conceſſum, & permiſſum aliqua tenere, & accipere, ac eis vti, vt dictum eſt. Sed tempore generalatus magiſtri Thomæ de Argentina, cui data fuit facultas a Patribus huiuſmodi Conſtitutiones, ac alia ordinis ſtatuta in melius reformandi. Hæc facultas, ſiue conſuetudo, aliqua bona donata, vel acquiſita tenendi, fuit confirmata, &

n cap. Gene ali Luteriæ Pariſiorum in Prouincia Frã ciæ ann. Dñi M. CCC. XLV.

aliquan-

aliquantulum ampliata, vt patet in ſuis additionibus, quas fecit ſuper prædictas Conſtitutiones, Anno Domini M. CCC. XLV. propter rationem ſupra aſſignatam, quia ſub ipſo fuit determinatum, Fratres de licentia ſui Prioris, poſſe tenere, & accipere, &c. vt ſupra dictum eſt. Vnde in cap. 2. ſuarum additionum ſuper Conſtitutiones dicit, quòd ædificia conuentuum fiant de licentia, & conſilio magiſtrorum habentium experientiam artis: quòd ſi quis contrarium fecerit, temporalibus bonis, eidem ab ordine conceſſis, priuetur, & cedant in vtilitatem conuentus &c. & in ca. 20. de Fratribus euntibus extra Domum. dicit: Item nullus Frater ordinis noſtri habens poſſeſſionem aliquam extra locum ordinis, ſiue ex teſtamento, vel patrimonio derelictam, vel etiam emptam: in eadem ſtare poſſit vltra triduum, nec hoc fieri poteſt, vltra tres vices in anno, &c. Et in cap. 29. de officio procuratoris dicitur: Quicumque Prior, vel eius vicem gerens rationem conuentus ſatis ſemel in menſe, ſecundum formam Conſtitutionis, reddi non fecerit, ſit ſua annuali prouiſione priuatus: & ſi inuentaria bonorum monaſterij annuatim nõ fecerit, annuali careat prouiſione: quam prouiſionem ſi alias propter alios defectus ſuos perdidit, vel ſi eã antea receperit, tunc de bonis ſibi conceſſis ab ordine tantum, det conuentui, quantum debuit eſſe prouiſio memorata. Et in cap. 36. de ſtudentibus dicit: Volumus, quòd

quilibet magiſtrorum, pro annuali veſtimento ſuo, a conuentu, vbi Frater exiſtit, recipiat octo Florenos, & à communitate prouinciæ quattuor, & in ſeptimana qualibet pro ſua prouiſione recipiat vnum Turonenſem cum dimidio, &ç. In cap. 45. de proprietarijs dicitur, quòd nullus Frater aurum, argentum in quacunque ſpecie, libros, vel alias res quaſcumque extra locum noſtri ordinis deponat, mutet, vel detineat, ſine plena licentia ſui Prioris. Si quis contra fecerit, pecunia, & huiuſmodi rebus extra ordinem retentis, ſit priuatus, &ç. & multa alia ſimilia ſunt ibi in ſuis additionibus. Ergo videtur, quòd tunc temporis non ſolum conceſſum fuit, ſed etiam ſatis ampliata iſta conſuetudo fuit retinendi bona mobilia, & facultas data fuit, & conſecutiuè etiam per alia Generalia capitula fuerunt facta alia ſtatuta, ac ordinationes. Vnde, prout poteſt videri in omnibus ſtatutis generalibus, & diffinitionibus, ſemper fuit ſeruata, & conceſſa iſta conſuetudo, aliqua bona tenere poſſe, ac in ſuis neceſſitatibus vti, in quibus conuentus deficiebant. Tempore etiam bonæ memoriæ Reuerendi Patris magiſtri Ambroſij de Cora ſub Sixto IIII. Pontifice maximo, Anno Domini M. CCCC. LXXVII. fecit nonnullas ordinationes, pro reformatione religionis: inter quas etiam videtur facultatem concedere, aliqua bona retinendi: ſicuti iam conſuetudo erat apud Fratres: nam inter alias ſuas ordinationes,

ſic

ſic determinauit, & ſtatuit, quòd, ſi aliquis Frater audeat manus violentas in alium inijcere, præter pęnas in Conſtitutionibus antiquis taxatas, intelligatur ipſo facto priuatus conuentualitate conuentus, &ç. Quæ quidem conuentualitas annuatim dabatur Fratribus noſtris tunc temporis, nunc autem in quibuſdam ſeruatur: quæ conuentualitas pro Veſtiario Fratrum tribuebatur. Similiter quaſi in fine ſui Statuti, poſtea dicit, præcipiendo ſub pęna furti, vt nullus audeat bona ſua extra conuentum retinere, niſi de licentia ſui Prioris: aſſignato prius inuentario omnium illorum bonorum, quod quidem debet poſtea poni in depoſito conuentus: præcipiens ſub pęna damnationis æternę omnibus, & ſingulis Fratribus cuiuſcumque ſtatus, & conditionis exiſtant, vt de omnibus ſuis bonis mobilibus, & immobilibus, debeant inuentarium ſuum facere, & illud in dicto depoſito ponere. poſtremo, inquit, parum prodeſſet, leges condere, niſi adeſſet, qui illas obſeruari faceret: propterea præcipimus, & mandamus omnibus Prioribus, & Procuratoribus, ſub pęna ſolutionis de proprio, vt nullatenus debeant dare collectam Prouinciali, niſi hæc fecerit obſeruari, &ç. Ex omnibus his dictis, & declaratis, ſequitur veritas harum duarum propoſitionum, quæ ſibi inuicem videntur repugnare, ſcilicet, Fratres poſſunt habere proprium: &, Fratres non poſſunt habere proprium.

Pro Veſtia

prium. Diſtinctio eſt communis, ſcilicet habere proprium contingit duobus modis, primo modo in communi, ſecundo in particulari. Et habere proprium in particulari, ſiue in proprio, bifariam etiam contingit, ſcilicet, quo ad dominium, & quo ad vſum. modo cum dicitur in prima propoſitione, Fratres poſſunt habere proprium, verum eſt in communi, iuxta ſuam Regulam, & priuilegia Summorum Pontificum; cum dicitur, Fratres non poſſunt habere propriũ, verum eſt in proprio, & in particulari, & quo ad dominiũ, ſed quo ad vſum tantum, de licentia ſui Superioris, iuxta ſuam Regulam, & priuilegia Summorum Pontificum, & ordinationes ſuorum Prçlatorum, poſſunt vtique habere. & iſto modo habent, ac tenent. Et iuxta iſtam diſtinctionem, pariter, & conformiter dicit B. Auguſtinus Triumphus de Ancona, vir quidem ſanctitate, & doctrina clarus in libro præclaro, de poteſtate eccleſiaſtica, quæſt. 79. vbi loquitur de proprietate Chriſti, quærens vtrum Chriſtus habuerit proprium. Reſpondet artic. primo. dicens, quòd proprium ſumitur dupliciter. Vno modo, prout opponitur fraternæ charitati: alio modo, prout opponitur vitæ communitati. & neutro modo Chriſtus habuit proprium, nec eius Apoſtoli, inquit ipſe. nam primo modo eſt auarorum: ſecundo modo eſt Laicorum, & hoc uocatur proprium in proprio à cæteris Theologis: quod nec Chriſtus,

Proprium habere, dupliciter dicitur.

nec

nec Apoſtoli, nec Religioſi debent habere; ſed proprium in communi, inquit ipſe, eadem q. art. 2. & proprium in particulari, quo ad vſum, quod ipſe vocat dominium vſus rerum in art. 3. Chriſtus, & Apoſtoli bene habuerunt, & ſic habent fratres noſtri, vt dictum eſt, &c.

CAP. VI.

NOTANDVM eſt autem, ſicut ſcribit B. Vrbanus Papa, & Chriſti martyr, quòd in exordio naſcentis Eccleſiæ, cùm fideles omnia, quæ poſſidebāt, venderent, & pretium eorum ad pedes Apoſtolorum ponerent, vt habetur Act. 4. videntes ſummi Sacerdotes, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis poſſe afferre, ſi hæreditates, & agros, quos vendebant Eccleſijs, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quòd ex ſumptibus eorum, tam præſentibus, quàm futuris temporibus plurima, & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus, communem vitam ducentibus, quam ex pretio eorum, cœperūt prædia, & agros, quos vendere ſolebant, matricibus eccleſijs tradere, & de ſumptibus eorum viuere, &c. Hæc Beatus Vrbanus martyr, in Epiſtola ſcripta ad vniuerſos Epiſcopos, vt habetur in Sanctis Decretis, 12. q. 1. cap. Videntes, & eſt in libro etiam Conciliorum, & in ſumma Concilij, in vita B. Vrbani pri

mi

mi martyris. ex his luce clara habetur, quòd in primordio eccleſiæ Chriſti fideles vendebant poſſeſſiones, & pretia eorum in communi ponebant pro eorum neceſſitate: poſtea videntes maiorem vtilitatem afferre poſſeſſiones, & agros Eccleſijs ipſas donantes, quàm vendentes, ideo matricibus eccleſijs, in quibus præſidebant eorum rectores, renunciauerunt, vt ex illis tenentes vitam communem viuerent. & ſic communitas, quæ in primordio ſeruabatur apud fideles, poſtmodum in clericos, & Epiſcopos deuenit. vt habetur 12.q.1.cap. Duo ſunt genera, & iſta communitas tempore B. Silueſtri, vſque ad tempora Beati Patris Auguſtini, vt d. B. Antoninus 3.part.tit. 13. cap.3.§. vlt. tantum in clericis ſeruabatur; & non amplius in laicis: ſed clerici ipſi poſtea, neque tali communi vita contenti, ut oſtendit B. Auguſtinus in Serm. ſuis, vt habetur in Decret. 12.q.1. cap. Certe ego ſum, quia forſitan commodè ſic viuere non poterant, & quia hoc eis non erat in præcepto, ſed de conſilio, neceſſe fuit ex bonis matricibus eccleſijs donatis vnicuique pro ſuo victu, ac veſtitu, aliquid conſignare: & hinc orta eſt diſpenſatio beneficiorum: & ita etiam eis diſpenſatum fuit, ſicut & laicis, propria habere, vt poteſt haberi 12. q. 1. cap. Epiſcopi, & alibi. vnde dicit B. Thomas 2. 2. q. 185. artic. 6. quod clerici bene poſſunt habere proprium, quia ipſi non habent votum paupertatis, nec eis præceptum fuit in communi viuere, &

ſine proprio, ſicuti eſt Religioſis, ideo ipſi poſſunt habere, & poſſidere, atque teſtari ſine aliqua licentia, ſic etiam notandum eſt de Religioſis, quod in exordio naſcentis ſuæ Religionis omnia poſſidebant in communi viuentes ſimul vita communi, donantesq. omnia, quę poſſidebant, monaſterijs ſuis: poſtmodum uero, multiplicatis Religioſis, atque ob neceſſitatem monaſteriorum, & ſuorum vtilitatem, necnon conſeruationem, vt ſupra dictum eſt, diſpenſare opus fuit ſuper ipſos Religioſos, atque eis particulariter aliqua bona pro eorũ vſibus concedere, in quibus communitas monaſteriorum non ſufferebat. Et ſic venit ad noſtros Fratres iſte viuendi modus, qui declaratus eſt, ſed non ſicut ad clericos, qui non regulariter viuunt. Religioſi verò, cum habeant votum paupertatis, & regulariter viuant, neceſſe eſt eis cum licentia ſuorum Superiorum pro ſuis tantum vſibus bona aliqua apud ſe retinere, atque ex illis conceſſis cum ſuorum benedictione maiorum id agere: pro quo facultatem acceperunt, & ſic in hoc Conuentuales Regulares à Clericis differunt: nam iſti abſolutè tenere bona poſſunt, & proprium poſsidere. Fratres verò non ita, ſed quantum eis, à ſuis Superiorib. conceditur, & ſicut dicũt Theologi, quod, exiſtente cauſa rationabili, in quolibet voto, & ſi ſolemniter etiam facto in Religione, Summus Pontifex diſpenſare poteſt, quamquàm uota illa ſint de eſſentia Religionis, vt ſupra dictum

H eſt.

eſt. Ita etiam exiſtente cauſa rationabili poteſt a Superioribus circa mobilia Fratrum diſpenſari. Nam, cū his temporibus ſit impoſſibile apud omnes Religioſos vitā in communi totaliter ſeruari propter nimiam his diebus noſtris in monaſterijs penuriā repertam: rationabili igitur cauſa monaſteriorum rectores moti, quędam mobilia ſuis ſubditis pro eorum vſibus, ac neceſſarijs conceſſere, ne ipſi poſtea pigreſcerent, virtuteſque dilaberentur, & monaſteria demum ipſa ob virtutum, & ſtudiorum carentiam in ruinā deuenirent, vel perderentur. Hoc etiam conſiderauerunt Summi Patres Sacroſancti Concilij Trid. nam, cum de Reformatione Regularium loquerentur, hoc ſenſerunt, vt habetur Seſſ. 25. cap. 21. Cum pleraque Monaſteria, etiam Abbatię, Prioratus, & Præpoſiturę ex mala eorum, quibus commiſſa fuerunt, adminiſtratione non leuia paſſa fuerint, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, detrimenta: cupit Sancta Synodus, ea ad congruam monaſticæ vitæ diſciplinam omnino reuocare: verum adeo dura, & difficilis eſt præſentium temporum conditio, ut nec ſtatim omnibus, nec commune vbique, quod optaret, remedium poſſit adhiberi. ut tamen nihil prætermittat, vnde prædictis ſalubriter aliquando prouideri poſſit, primum quidem confidit, Sanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, &ç. Concludamus ergo, ſi

Concluſio.

Superior

Superior poteſt concedere Fratribus ſuis facultatem teſtandi, poterit etiam à fortiori aliqua bona pro vſu Fratrum illis concedere: tenent enim igitur plures Theologi, ſicut Summus Pontifex poteſt diſpenſare cum Religioſo Epiſcopo, vt de ſuis bonis teſtari poſſit, vt dicit S. Thom. 2. 2. q. 185. Artic. vlt. ſic etiam & Priores Generales, in ſui ordinis Fratribus diſpenſare poterunt, vt in ordine teſtentur. ſicut tenet Auctor Summæ Armillæ, verſ. Relig. §. 25. & Summa Tabiena. verſ. Relig. §. 42. & alij Doctores. Et, ſi Superior ſecundum Beatum Patrem noſtrum Auguſtinum poteſt licentiam dare Fratri exeundi extra Monaſterium ad ſubueniendum parentes ſuos in neceſſitate poſitos, quanto magis pro ipſorum vſu in neceſſarijs ſuis concedere poterit? Inquit enim Beatus Pater Auguſtinus in Sermon. ad Fratres in Eremo, Serm. 6. Nam ſi Pater alicuius ſine Filio monacho viuere nullatenus poteſt, procurare debet Filius, quomodo de bonis Monaſterij Patri ſubueniatur. Et, ſi Monaſterium impotens fuerit, Filius toto affectu videat, quomodo Patri non deficiat. Et, ſi non viderit, cum Dei benedictione Monaſterium de licentia maioris exeat, & verbo, & opere Patri ſubueniat, vt non deficiat ex negligentia: nec votum frangere credat. Hæc Auguſtinus. Ergo a fortiori etiam in Monaſterio, cum licentia ſui Superioris pro ſui ſubuentione, & neceſſarijs prouidere poterit, ſine tranſgreſſione Vo- Tomo X.

H 2 ti pau-

ti paupertatis, ex verbis S. Patris noſtri Auguſtini. Cum ergo conſuetudo ſit optima legum interpres, prout habetur in Iure, & vt dicit Beatus Thomas 2.2. q. 97. Art. 3. habet uim legis, & legem abolet, & interpres eſt legis: & licet conſuetudo non tollat, nec mutet legem diuinam, nec naturalem, vt dicit S. Thomas: tamen poteſt limitare, diſtinguere, declarare, augere, & ſimilia, ſicut poteſt Ius poſitiuum. Conſuetudo ergo, prout dicitur in Iure.c.cum dilectus, de conſuetudine. interpretatur priuilegia, indulgentias, ſtatuta, ſicut & legem: & licet non præualeat contra legem diuinam, & naturalem, tamen præualet contra Ius poſitiuum, prout dicitur in Iure, vt bene notatur ab auctore Summæ Piſan. verſ. Conſuetudo. §.2. dummodo ſit rationabilis, & præſcripta. Rationabilis eſt, vt dicit D. Innocentius Papa, quando non reprobatur, ſed ſuſtinetur in Iure. Præſcripta dicitur, quando per longum tempus durat, & fuit inducta, vt ſpatio 10. annorum vel 20. annorum, vel ad plus 40. prout in Iure habetur. Iſta autem conſuetudo, quæ modo eſt in noſtris monaſterijs Conuentualibus, ſcilicet aliqua bona retinendi, & vtendi, ſecundum antiquas noſtras Conſtitutiones, videtur rationabilis, & præſcripta, quia iam à Patribus noſtris, per multos annos, ad nos deuenit, & vſque ad hæc tempora ſeruata eſt. Vnde Priores locorum, obtenta in noſtris Generalibus Capitulis facultate, a Patribus Religio-

nis,

nis, concedendi aliqua bona pro ſuis neceſſitatibus, Fratribus ſuis, propter monaſteriorum penuriam exortam, vt dicimus, omnes Priores poſtmodum inter ſe conuenerunt, curam tantum in vniuerſali ſibi ipſis tenere, ſiue ſeruare, prouidentes circa victum, quò ad Fratres, ac conſeruationem bonorum, tam mobilium, quàm immobilium conuentuum. In alijs autem neceſſarijs Fratribus conceſſerunt eis, vt de bonis ſibi oblatis, vel iuſto modo acquiſitis, ſibi ipſis in veſtibus, & libris, & alijs neceſſarijs, ſuo modo prouideant, vt etiam ſupra dictum eſt. Et ſic ſequitur, quòd iſta conſuetudo, inter Fratres tenendi bona mobilia, ac immobilia, pro ſuis neceſſarijs, ortum, & initium habuit à principio Sanct. vnionis per Alexandrum IIII. factæ, & in poſterum ſemper ſecuta eſt. & ſic tum ex Regula noſtra, & ex priuilegijs nobis conceſſis, vel cum alijs Mendicantibus communicatis, tum etiam ex noſtris antiquis Conſtitutionibus, additionibus, ſtatutis, ac aliis ordinationib. & definitionibus, & ex ea antiqua conſuetudine, quæ eſt altera lex, videtur expreſſe permiſſum, ſiue conceſſum fuiſſe Fratrib. noſtris, Bona mobilia ſibi data, vel donata, vel iuſtis modis acquiſita, habere, tenere, poſſidere, ac vti, prout eis opus fuerit, bona cõſcientia, & ſine peccato proprietatis poſſe. Et ita credo, quod non ſit peccatum, nec contra votum paupertatis, tenere aliqua bona, ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, & ſui Prælati, prout de-

claraui

claraui in ſuperioribus, dummodo vtantur, & nõ abutantur, vt ſæpe ſæpius dixi, quo ad vſum tantum, non autem quo ad dominium. & licet in Concilio Trid. ſub Pio Papa IIII. Seſſione 25. de Regularibus cap. 2. Nemini dicatur, quod non liceat Regularibus bona aliqua cuiuſcunque ſit tenere: verum eſt, tanquam propria, vt dicitur ibi; & nos etiam hoc determinauimus. Similiter dicitur, nec liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, neque ad vſum, non tamen dicit de mobilibus: nam mobilia, quo ad vſum tantum, de licentia ſui Superioris, poſſunt tenere, quia hoc non eſt tenere tanquàm propria, cum dominium ipſorum bonorum Fratres nõ habeant, ſed Monaſterium, & ſui Superiores. Et ſic finem impono huic tractatui, ad laudem, & honorem Dei, & beatiſsimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, & Glorioſiſſimi Patris noſtri Aurelij Auguſtini. In quo ſi aliqua ſunt bene dicta, ſoli Deo honor, & gloria; ſi autem non ita perdoctè, & bene, meæ fragilitati attribuatur, cum ſummiſſione correctionis S. Rom. Eccl. & ſanioris iudicij optimorum virorum. Finis, & completus Venetijs in Ædibus D. Stephani Protomartyris. Ego F. Ambroſius Beltramus Venetus ordinis Eremitarum, S. Auguſt. inter ſacros Theologos minimus, præſentem tractatum abſolui. anno Dñi M. D. LXV. Die XV. menſis Martij. Diuino numine fauente.

AMEN.